

ab ipso deducerentur. Sic igitur de manu inimicorum evadentes, postquam Tripolim pervenerunt, in manus deteriores prophanas et sacrilegas inciderunt. Quicquid enim secum detulerant, comes Tripolitanus Boamundus cum satellitibus suis filiis Belial, qui predictis exulibus fratribus suis compati debuerunt, prorsus abstulerunt, crudeliores Saracenis se ipsis (ipsos) christianis exhibentes. Ex quo illud miserabile et a seculis inauditum refertur (referunt) ibi accidisse. Dum quaedam matrona parvulum suum secum super humeros deferens ab impiis hostibus spoliaretur — nulli enim sexui vel conditioni parcebant nec etiam (pudenda) perscrutari erubescabant — attendens mulier illa (quod ea) que sibi Saraceni pro se et suo filio nutriendo reliquerant, hii ad quos confugerat rapiebant, supra modum perturbata et spiritu tristitie et desperationis absorta (absorpta) proprium filium in mare proiecit. — Predictus autem Saladinus Ascalonam revertens hac conditione civitatem recepit, quod regem et magistrum Templi, quos captivos tenebat, restitueret liberatos. Inde vero non segnis neque piger usque Tripolim pertransiens, videns civium multitudinem cum eis (his) qui ad civitatem confugerant ad resistendum paratam, credens quod de manu eius civitas non posset evadere, si tempore oportuno, postquam alias occupasset munitiones, reverteretur: versus Antiochiam cursum direxit; presertim quia tunc temporis circa munitiones maritimas non vellet multum laborare, eo quod Pinitorum (? Piratarum) princeps potentissimus in mari (in m. p.) qui Magarith nominabatur (quem Margarith nominabant) de regno Sicilie cum 80 galeis ad nostrorum subsidium advenerat, missus a strenuo rege Sicilie Guilelmo. Hic enim postquam lamentabilem casum regni Ierosolimitani audierat ab hiis qui ad partes illas in navibus confugerant, confestim eadem estate non solum predictas galeas, sed milites 500 et Turcopolos (Turcopulos) 300 et victualia absque extimatione (aestim.) transmiserat ad subsidium residue terre sancte, vir venerabilis et Deo devotus. Saladinus autem fortunam suam (s. f.) in (*deest*) impetu spiritus sui non segniter urgens, infra trium mensium spatium totum obtinuit Antiochenum principatum excepto castro inexpugnabili domini (Antiocheni) patriarche, quod Cursarium (Cursatum) appellant (et civitate Antiochena); a qua data sibi multa pecunia a domino patriarcha recessit, spem certam et fiduciam habens quod aliis circumquaque occupatis munitionibus sola civitas diu repugnare non posset. Ipse enim plus quam 25 civitates et oppida in predicto principatu sue subiecerat ditioni. Revertens igitur in regnum Ierosolimitanum, civitatem Tyrensem, que sola ex omnibus regni civitatibus remanserat, terra et mari cum innumerabili exercitu obsidione vallavit. Erat autem in tempestate illa in civitate Tyrensi vir nobilis et (armis) strenuus